



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Famis & sitis, cibum & potum condientium exempla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

animos considera, & inuenies illa robusta magis & valida, ac succi plena, qua mediocribus & simplicibus vruntur alimonijs: hi verò, qui in delicijs viuunt, resoluta quidem corpora, & omni cerà circumferunt molliora, & agmine quodam infirmitatum repleta, quibusq; ad malorum cumulum maiorem, podagra tremor & immatura senectus accedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti, & si aliquid voluptatis, aliquid iucunditatis habent, quis haec iucunda & grata dicat voluptas enim definitur, cum quis fruatur desiderijs suis: Ubi verò desiderijs suis frui non potest, quia aegritudo non finit, vel satietas ipsa desiderari non facit, qua onerosa efficit abundantia, sine dubio voluptas & iucunditas eis perijt. Deniq; considera egros, qui fastidio perurgentur, quomodo quamuis suaves eis & lauti apponantur cibi, horrore tamen magis eos accipiunt, quam voluptati; sic ergo cum per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter voluptas & iucunditas perimitur; quia non tam ciborum gratia, quam desiderij gignit satisfactio voluptatem.

X.

Ad stipulantur huic sancto viro, ipsi etiam alioqui delicijs & saturitati, ab ineunte ætate, assueti, qui experientia aliquando docti famem sitimque laudare didicerunt. Sisara princeps exercitus Iabin, militaris animus, & fortassis æquè poculis, ac hastis certare solitus, certè vino & cõuiuijs innutritus, de fuga æstuans, non dubitauit à Iahel, muliercula Hebræa, aquam mendicare.

Iudic. 4. 19.

Da mihi, obsecro, inquit, paululum aqua, quia sitio valde. Qua aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere. Hic haustus illi nectar fuit, quem aliàs vitulorum, aut rusticorum potem appellauisset. Marcellinus scribit, Constantium Imp. superatum à Persis, frusto panis à quadam vetula porrecto in ediam repulisse. Apud M. Tullium

Cic. lib. 3.

Tusc. q. 4.

Darius ipse in fuga, cum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnumquam se bibisse iucundius. Numquam autem, vel perraro sitiens biberat. Quod etiam Artaxerxi legitur euenisse, cui iam siti deficienti, Peribarzaes eunuchus, cum aliud non liceret, à rustico quopiam sordidum utrem detulit, putris aquæ cotilas octo continentem: eam aquam, cum rex ebibisset, se numquam vinum potasse iucundius, nec vllam aquam, quamuis purissimam, sibi visam suauiore, confessus est. Queruntur

runtur

runtur multi de cerevisiæ & vini vilitate, obuium illis posuit remedium natura. Optimum potionis condimentum est sitis.

Quemadmodum & cibum omnem fames reddit sapidiorum. Gulosi non famelici fuerunt illi, qui cælesti dape fastidita dixerunt: *Deest panis, non sunt aqua: anima nostra iam naufragat super cibo isto lenissimo*. Gula est, luxus est, non vera fames, quæ inter cibos discernit, immò stultitia est, quæ manna reijcit, & coturnices petit. Fames seria mucidum panem pluitis facit, quàm saturitas crustula è saccharo confecta. Artaxerxes ve vim sitis, ita & famis expertus, cum in fuga quadam direpto illius commeatu, aridis ficis, & hordeaceo pane vesceretur: *Dij boni, inquiebat, cuiusmodi voluptatis hæcenus in expertus fui? Ad eundem modum Ptolomæus Lagi F. cum peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis, cibarius in cata panis datus esset, negavit ullum cibum unquam sibi visum suauiore. Aderat enim optimum condimentum fames. Panormitanus auctor est, Alphonsum, cum videret rusticum quemdam humi prostratum vvas auidè comedere, ad suos conuersum dixisse: *Vtinam mihi isto orio comedere Dij dedissent!* Quod etiam D. Augustinus optauit, cuius hæc sunt verba: *Transiens per quemdam vicum Mediolanensem, animaduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, jocantem atq; letantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores infaniarum nostrarum, quia omnibus talibus conatibus nostris. (qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meae sarcinam; & trahendo exaggerans) nihil vellemus aliud, nisi ad securam latitiam peruenire, quò nos mendicus ille iam praeceisset, numquã illuc fortasse venturos. Quod enim iã ille pauceculis & emendicatis nummulis adeptus erat ad hoc ego tam arum nosis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad latitiam scilicet temporalis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed & ego illis ambitionibus multò falsius quarebam. Et certè ille latabatur, ego anxius eram: securus ille, ego trepidus. Et si quisquam percunctaretur me, utrùm malle exultare, an metuerè: responderem, exultare. Rursum, si interrogaret, utrùm me talem malle, qualis ille, an qualis ego tunc essem, meipsum curis timoribusq; confectum eligerem, sed peruersitate; numquid veritate? neq; enim eò me praponere illi debebam, quò doctior eram: quoniam non inde gaudebam, sed placere inde quarebam homi-**

F nibus,

XI.

Num. 2). 5.

Plutarch. in Reg. & Imper. Apophtheg.

Cic. lib. 5. Tutul. q. 9.

Panormit. lib. 1 de reb. gestis Alphonf. S. Augustin. lib. 6 Confess. cap. 6.